

quem in primis diligebat, et C. Fannium et Quintum Scaevolam, generos Laeli, doctos adulescentes, iam aetate quaestorios; quos cum omnis salutavisset, convertit se in porticu et coniecit in medium Laelium; fuit enim hoc in amicitia quasi quoddam ius inter illos, ut 5 militiae propter eximiam belli gloriam | Africanum ut 197 deum coleret Laelius, domi vicissim Laelium, quod aetate antecedebat, observaret in parentis loco Scipio. dein cum essent perpauca inter se uno aut altero spatio conlocuti, Scipionique eorum adventus periucundus et pergratus fuisset, placitum est ut in aprico maxime pratuli loco, quod erat hibernum tempus anni, considerent; quod cum facere vellent, intervenit vir prudens 198 omnibus|que illis et iucundus et carus, M'. Manilius, 15 qui a Scipione ceterisque amicissime consalutatus adsedet proximus Laelio.

Tum PHILUS: 'non mihi videtur' inquit 'quod hi venerunt alius nobis sermo esse quaerendus, sed agendum accuratius et dicendum dignum aliquid horum 20 auribus.' hic LAELIUS: 'quid tandem agebatis, aut cui sermoni nos intervenimus?' (PHIL.) 'quaesierat ex me 269 Scipio | quidnam sentirem de hoc quod duo soles visos esse constaret.' (LAEL.) 'ain vero Phile? iam explorata nobis sunt ea quae ad domos nostras quaeque ad rem 25 publicam pertinent? siquidem quid agatur in caelo quaerimus.' et ille (PHIL.): 'an tu ad domos nostras non censes pertinere scire quid agatur et quid fiat domi? quae non ea est quam parietes nostri cingunt, sed mundus hic totus, quod domicilium quamque patriam di

13
19